

M. TVLLII CICERONIS
ACADEMICÆ
QVAESTIONES.

CICERO VARRONI S. D.

ETSI munus flagitare, quamvis quis ostenderit, ne populus quidem solet, nisi concitatus; tamen ego exspectatione promissi tui moveor, ut admoneam te, non ut flagitem. Misí autem ad te quatuor admonitores non nimis verecundos. nosti enim profecto os adolescentioris Academiæ. Ex ea igitur media excitatos misí: qui, metuo, ne te forte flagitent. ego autem mandavi, ut rogarent. Exspectabam omnino jamdiu, meque sustinebam, ne ad te prius ipse quid scriberem, quam aliquid accepissem, ut possem te remunerari quam simillimo munere. Sed cum tu tardius faceres, id est, ut ego interpreter, diligentius; teneri non potui, quin conjunctionem studiorum, amorisque nostri, quo possem litterarum genere, declararem. Feci igitur sermonem inter nos habitum in Cumano, cum esset una Pomponius. Tibi dedi partes Antiochinas, quas a te probari intellexisse mihi videbar: mihi sumsi Philonis.

6 ACAD. QV AESTIONES.

Puto fore, ut, cum legeris, mirere id nos locutos esse inter nos, quod nunquam locuti sumus. Sed nosti morem dialogorum. Posthæc autem, mi Varro, quam plurima, si videbitur, & de nobis, & inter nos: sero fortasse; sed superiorum temporum fortuna reipublicæ causam sustineat: hæc ipsi præstare debemus. Atque utinam quietis temporibus, atque aliquo, si non bono, at saltem certo statu civitatis, hæc inter nos studia exercere possemus! quamquam tum quidem vel aliæ quæpiam rationes, honestas nobis & curas, & actiones darent. Nunc autem quid est, sine his cur vivere velimus? mihi vero cum his ipsis vix: his autem detractis, ne vix quidem, Sed hæc coram, & sæpius. Migrationem, & emtionem feliciter evenire volo, tuumque in ea re consilium probo. Cura ut valeas.
